

B. M. II, 1375<sup>a</sup>  
n. 72, 26.

(X 1877350)

II R  
137

*Aeternò Genitore Benedicente!*

DISPUTATIO INAUGURALIS JURIDICA,

*Exhibens*

**FASCICULUM QUÆSTIO-  
NUM CONTROVERSARUM,**

EX

*JURE NATURALI, CANONICO, CIVILI, FEUDALI  
& PUBLICO DE PROMPTARUM;*

*Quam*

EX DECRETO  
AMPLISSIMÆ FACULTATIS JURIDICÆ,  
SUB DIRECTIONE & PATROCINIO  
MODERNI LAUDATÆ FACULTATIS  
DECANI,

**DN. DIETERICI WILHELMI  
MATTHIÆ,**

MAGNINOMINIS JCTI,

Eminentissimi ac Serenissimi Principis Electoris Mogun-  
tini Consiliarij Regiminis, Fac. Jurid.  
Assessoris primarii &c.

*PRO LICENTIA*

*Summos in UTROQUE JURE DOCTORALES HONO-  
RES & PRIVILEGIA obtinendi,*

*Placidæ Eruditorum disquisitioni*

*D. 4. Aprilis Anno M. DC. XCIV.*

*In Aula Collegij Majoris horis consuetis supponee*

**ANDREAS GEORGIUS BABBE,**

*Hamburgensis.*



ERFORDIÆ, Typis Joh. Henrici Groschij, Acad. Typogr.



DISPUTATIO IN ALGEBRA JURIDICA  
Lectura  
ASSOCIUM QUASTIO  
NIM CONTRAVERSARUM  
DEO,  
PATRIÆ,  
PARENTIBUS  
MATTHEÆ  
ATQVE  
PATRONIS.



Summus in Iure et Jure Doctorum Honor.  
Res & Privilegia obtinenda  
Placide & adiectum dispositioni  
D. & apud Anno M. DC. LXXV.  
Halle Collegij Martini hanc consuetudinem  
ANDREAS GEORGIIUS BARBE,  
Halleburgensis

ERFORDIÆ, Typis Joh. Henrici Gleditsij, Acad. Typogr.





103 3 56  
B. C. D. T. U



**H**asciculum hic exhibeo. *Questio-  
num Controversarum, cum, quam  
de materia speciali plenius elabo-  
randa elegeram Inauguralem, tum  
ob corporis supervenientem infir-  
mitatem, tum alias gravissimas  
causas pertexere impeditus fui. Elaborationem e-  
legi perficiendâ quidem faciliorem, at defendendâ  
propter varietatem materiârum operosiorum. Col-  
ligendâ non talia selegi, quæ nec scienti prodesse, nec  
ignoranti obesse possunt, hisce enim ingenium fatiga-  
re & in illis angustus gloriolam querere ineptum du-  
xi. Accipiat ergo Benevolus Lector hujus, qualia  
sint, Disputationis contenta, atq; ni fortè satis acuta  
sibi videantur, vitæ Aulicæ non Scholæ Can-  
didato ignoscat contendendo.*

(:)

A 2

I. Utrum

I.  
**U**trum bruta sint juris capacia ?

Ulpianus in *l. 1. ff. de J. & J.* Affirmativam tenere videtur; Etenim jus Naturæ illud esse dicit, quod natura omnia animalia docuit, cujus & cætera animantia peritiâ censeantur. Cum verò hæc verba ferè nihil aliud indicant, quàm quòd juris naturalis illa sint, in quæ bruta æquè ac homines communiter feruntur, & à quibus abhorere deprehenduntur, necessariò sequi videtur, hæc definitione jus aliquod statui hominibus ac brutis absolutè commune. Ulpianum postea secuti sunt alii, qui rationibus tam ex Sacris Literis quàm aliundè conquisitis non tectè sed apertè communionem juris inter homines & bruta asserere conati sunt, de quibus vid. Samuel. Pufend. *de Jur. N. & G. lib. 2. c. 3. §. 3.*

At hisce non obstantibus negativam defendimus, atq; tam definitioni Ulpiani, quàm cæteris communionem juris inter homines & bruta manifestè adferentibus hoc unicum opponimus: Si Juris necessarium correlatum est obligatio? si porro ad obligationem requiritur consensus; si consensus venit ex voluntate &

11.

& intellectu; voluntas autem & intellectus  
deniq; præsupponunt rationem, at ratione  
carent animalia, sequitur, bruta Juris  
incapacia esse.

**AN** *αὐτοχθονία* sit licita?

Qui licitam esse contendunt, pro sua sententia varias ex  
corpore Justinianeò leges adducunt, videl. *L. sed si, 9. §. si ipse, 7. ff. de pecul. l. 1. C. de bonis eor. qui sibi mortem consciv. l. si quis, 6. §. 7. ff. de in-just. rupt. §. c. l. 2. C. qui testam. fac. pass. l. in fran-dem, 45. §. 2. ff. de jur. fisci.* Sed nec sine ratio-nibus militant; quancquam sub aliqua distincti-one. Nimirum mortem eligere, ut paupertas, vel amor, vel molesti quippiam evitetur, timidi & ignavi viri esse adeoque prohibitum putant, cum laboriosa fugere mollities sit; At si quis tristi & inevitabili fortunæ casu coactus aut pu-dore aliquò extremò compulsus mortem sibi ipsi intulerit, factum excusant. Siquidem cum ex tanto periculo non nisi per miraculum evadere potuisset, colligunt, missionem jam ipsi ab omnipotenti DEO datam, nec multum humani generis interesse, exiguo tempore mortem ad tormenta & ludibria, quæ ad grave fortasse pec-catum stimulare potuissent, declinanda, anticipasse. Verum negativa sanior est opinio, cui

C 3

cui & nos subscribimus; quippe neminem mem-  
brorum suorum dominum esse, haud ignorantes.  
Et sane si ne membri quidem homo dominus sit,  
quid de tota vita, cujus originem DEO debemus  
dicendum? A DEO igitur & finem vitae iterum  
expectemus, hic enim & summis necessitatibus  
afflictum liberare, imò in extremò mortis pe-  
riculò eundem incolumen servare valet, uti te-  
stantur exempla Sacrae Scripturae. Vid. Dan. 3. & 4.

## III.

**AN** Duella permittenda sint?

Sunt qui affirmant, proque sua sententiã stabilendã ad lon-  
gam duellorum consuetudinem, dein ad inevita-  
bilem honoris ac famae, quae cum vita pari passu  
ambulet, defensionem provocant.

Nos negativam tenemus, ut veriore[m] soli-  
dioribusque rationibus & fundamentis innixam.  
Etenim (1. duella Juri Naturae & Gentium dire-  
ctò contrariantur, quandoquidem inter omnes  
homines natura quandam cogitationem consti-  
tuit, & ideò hominem homini insidiari nefas du-  
xit. L. 3. de J. & J. (2.) Nec minus Sacrae Scripturae  
privata vindicta adversatur; ita enim DEUS ipse  
Deut. 32. v. 35. Mili est vindicta, inquit, & ego  
be merito retribuam. Cui ad stipulatur locus Rom. 12. v. 19.  
Et Matth. 5. v. 44. nec non Luc. 6. v. 27. Ubi Chri-  
stus pro singulari Christianorum caractere re-  
quirit inimici dilectionem. Accedit, quod du-  
ellum

bellum civilis actus, per quem tentatur Divinum  
 Numen c. *Monomachiam 2. quest. 4.* Hanc verò  
 jure Divino prohibitam esse patet ex *Mattb. 4.*  
*Non tentabis Dominum, Deum tuum.* (3) Repugnat  
 expressæ ordinationi Divinæ & Magistratus au-  
 toritati, qui ideò gladiò est munitus, ut malos  
 coërceat, secundum Paulum *ad Rom. 13. v. 4.* &  
 nequis propriâ autoritate se contra alium ulci-  
 scatur. *l. ult. C. de vi privata, & l. 14. C. de Jud.*  
 & *Cælicol.* prohibetur. (4) Denique duel-  
 lum nihil aliud est, quam inventum quoddam  
 Diaboli, quò hîc omni ævo multas hominum ani-  
 mas seduxit, inque ignem æternum præcipites  
 dedit.

Affirmantium argumentis ita satisfacimus:  
 (1) Ad consuetudinem aliquam pro lege alle-  
 gandam non actuum modò frequentia & diutur-  
 nitas temporis sed & rationabilitas requiritur  
 scilicet, ut consuetudo ad modum reliquarum (scri-  
 ptarum) Legum *Bonum & æquum* pro nor-  
 ma habeat. *Bonum*, ut expediat Reipublicæ, *Æ-*  
*quum*, ne rationi naturali contradicat; cum ve-  
 rò hæc utraque in allegata consuetudine defi-  
 ciant, ideòq; ea effectum consuetum habere ne-  
 quit. (2) Frustra inde captatur gloria, quod homine  
 Christianò maximè indignum, DEI T. O. M. odium  
 ac maledictionem parit, nec minus Magistratûs  
 mundani gravibus pœnis, puta suspensione, exi-  
 liò, infamiâ, publicatione bonorum aliisque co-  
 ERCITIONIBUS mulcetur. Sanè, si duellum actio  
 foret

foret honesta ac gloriosa, non eâ severitate & duritie Galliarum Rex, honorum & gloriae strenuus aestimator in duellantes animadverteret. Videns potius carnificis opus esse, delinquentes gladio punire, huic suum officium relinquendum, cæterosque ipsum imitantes consortiõ honestorum variis pœnis separandos judicavit.

IV.

**A**N Jure Divinõ quis præmortui fratris viduam matrimonio sibi jungere possit?

**Pro Affirmativa** quidem adduci solet locus ille notissimus *Deut. 25. v. 5.* ubi sancitum : *Quando fratres sub uno morantur tectõ, & alter moritur sine liberis, tunc mortui vidua non viro nubat extraneo, verum levir ipsius concumbat cum illa, matrimoniumque cum ea contrahat.* Sed quia dispositio illa ad certum casum, fratre nimirum cum fratre natu majore in una domo vivente majoreque sine liberis decedente, & ad certum ac specialem finem, ut defuncto primogenito semen excitetur, secundum *Deut. c. 25. v. 5. & seqq.* atque tribus ac familia in illo ob privilegium vel prærogativam primogenituræ conservetur, directa est, insuper non vim Legis generalis, sed tantum mandati specialis, ad prædictum finem obtinendum, habet, adeoque Legi hac de re, *Lev. 18. v. 16. 20. & 31.* Ubi fratris viduæ turpitudinem nudare prohibetur, generaliter latae &



& promulgata derogare nequit, arg. *L. 141. ff. de Reg. Jur.* Negativa omnino præferenda est; Quam etiam hodiè Theologi & JCTI communiter defendunt, conferatur *Beza de Repud. & Divort. p. 49. & seqq. Voetius Politicæ Eccles. parte 1. lib. 3. Tr. 1. Sect. 3. c. 4. q. 1. Gerbard. in loco de Conjugio. num. 391. Brochmann. in system. Theolog. Art. de Conjugio c. 4. quest. 41. & seq. Danhauer. in Casib. Consc. Tom. I. p. 781. Tarnov. de Conjugio. L. 1. c. 60. Rizel. de Matrim. c. 3. tb. 11 lit. b. Carpz. in Jurispr. Consistor. lib. 2. tit. 6. Def. 91. num. 2. & seqq.* Dissentit tamen Christophorus Joach. Burcholtz in Tr. de hac quæstione edito, cujus rationibus alii pro adstruendâ dispensatione utuntur. Sed singulari scripto hic refutatus ab Havemanno, cui ille opposuit vindicias suas, ad quæ scripta ulteriora scire desiderantes remittimus.

## II.

**A**N Eunuchus cum aliqua defectum haud ignorante, attamen consentiente matrimonio contrahere possit?

Negativam communiter defendunt Doctores, (1.) quòd per tale matrimonium finis primarius conjugii non obtineatur; cum sacrum hoc fœdus ad propagationem generis humani principaliter institutum, hâc verò propagandi potentiâ Eunuchus destitutus sit. (2.) Sacerdos benedictionem;

B

Cre

*Crescite & multiplicamini*, hōc locō per lū-  
sum & jocum, utpote de sterilitate securus adhi-  
beat. Nec mnius (3.) ad peccandum causa præ-  
beatur: Uxori enim uisionem extinguere non  
valente Eunuchō, metus est, ne fornicationis &  
adulterii crimen uxor incurrat. (4.) Denique,  
hoc conjugium tam Juri Canonico, *cap. 3. X. de  
frig. & malef. & ibi Gl.* quàm Civili, *l. si serua,  
39. §. si spadoni, 1. ff. de jur. dotium; Novell. Leon.  
65. contrarium sit.*

Hisce non obstantibus alii quæstionem af-  
firmant ob rationes sequentes. (1.) Quòd tale  
conjugium nullibi in S. Scriptura prohibitum  
reperiatur, ideoq; ad Episcopo aut Magistratu  
jura Episcopalia habente admitti possit; Cum  
Magistratui circa ea, quæ Jure Divino vel Natu-  
rali nec præcepta sunt, nec prohibita, dispen-  
di facultas competat, Theod Reinking. *de Regim.  
secul. & Eccles. lib. 1. d. 2. c. 12.* Ad locum  
*Levit. 22. v. 24.* ubi omne excisum aut evul-  
sum domino appropinquari prohibetur, it.  
*Deut. 23. v. 1.* ubi castratus à cœtu domini exclu-  
ditur, respondent, hæc loca solummodo de sa-  
crificio & ministerio Levitico intelligenda adeo-  
que ad legem forenses s. ceremoniales refe-  
renda esse, per consequens Rempublicam Chri-  
stianam N. T. ad observantiam non devincire.  
(2.) Quòd deficiente spe prolis ob mutuum vitæ  
adjutorium matrimonium permitti possit. Quod  
nī fieret, senes magnō orbarentur solatiō, qui sa-  
nè

nè non mundum propagandi, sed vitæ tantummodo adiutorium habendi gratia matrimonia in-  
eunt. Id quod praxis & exempla confirmant. (3.)  
Provocant ad *1. Reg. cap. 1.* Ubi Rex Davides senio  
frigidus virtuteq; genitali destitutus pulchram  
& juveneam Sunamitam Abisag eum in finem,  
ut sui curam haberet, brachioque inclusa ipsum  
calefaceret, non ut liberos procrearet, sibi  
junxisse fertur. (4.) Contendunt, conjugia ob vi-  
tæ consortium tantummodò inita contra DEI or-  
dinationem non esse, juxta verba à DEO ipso *Gen.*  
*2. prolata: Non est bonum, hominem esse so-*  
*lum, faciamus ei adiutorium;* ut scil. habe-  
at sociam vitæ, cum quâ familiariter perpetuò  
in amore & fide conversetur & cohabitent. (5.)  
Jure Canonicò constitutum reperiri, personas  
impotentes vel vitiò corporis laborantes unà in  
conjugio vivere posse, si ambo consentiant, ut  
vir, quam uxorem habere non possit, fal-  
tim habeat ut sororem *cap. Consultationi & cap.*  
*laudabilem X. de frig & malef.* Quicquid verò  
de hisce sit, cum maximi nominis Theologis &  
JCTis negantem sententiam tutiorem existima-  
mus.

VI.

**N**Um uxor in repetendâ dote præferatur omni-  
bus creditoribus etiam expressam hypothe-  
cam anteriorem habentibus?

B 2

Affir-

Affirmantium castra sequimur per textum expressum in  
*l. Assiduis, 12. C. qui potiores in pignore habeantur.*  
*Nov. 97. c. 2. § 3. Nov. 109. c. 1.* Nam etsi in con-  
 cursu creditorum regulariter Lex prioritatem  
 indulgeat ei, qui prior est tempore, *l. 12. C. qui potior, in pign.* Attamen, quoniam  
 Iex prerogativam dat personis privilegiatis, prioritatem temporis hinc non attendi ratio ju-  
 bet, Boerus *Cl. 2. disp. 12. tb. 39.* Harum nume-  
 ro inclusas esse foeminas testatur *l. 12. d. t.* Et  
 hanc sententiam sapissimè & respondendò & ju-  
 dicandò ab Amplissimo Jctorum Marpurgensi-  
 um collegio esse approbatam testatur Mynsing.  
*4. obs. 13. Gædd. Conf. Marp. vol. 1. Consil. 24. n. 301.*  
 Dissentit Gail. *2. obs. 25. n. 10.*

## VII.

**A**N Creditor Antichreticus, qui per belli cala-  
 mitates nihil vel parum ex pignore percipere  
 potuit, retentionis jure rectè utatur, donec usura-  
 rum vice à debitore sibi aliquid persolvatur?

Rationes pro negativa has dabimus (1.) Quod fructus  
 lucro & damno Possessoris Antichretici sint, qui,  
 uti ob excessum, nisi nimius sit, ad rationes non  
 est obstrictus, ita vice versa incommoda recipere  
 cogitur, cum hæc ab eo sustineri debeant.  
*Caspar. Klockius de Contribut. cap. 11. num. 223.*  
*Maximil. Faust von Alschaffenburg Cl. 3. Ord. 97.*  
 (2.)

(2.) Creditor quoad fructus eorumque perceptionem locū Domini est, *L. 11. §. 1. ff. de Pignor. L. 17. C. de Usur.* *Acti Altorffenses Resp. 4to. verb.* Und zwar derogestalt / daß der Creditor die Früchte an statt der Zinsen / tanquam Dominus lucrivet &c. ad Dominum verò pertinent indistinctè damnum & periculum, ita quoque ad Possessorem Antichreticum, *argum. L. 12. C. de Loc. & Conduct. L. quæ fortuitis C. de Pignorat. Act.* (3.) Usuræ debentur ex morâ vel stipulatione, *L. 17. §. 3. ff. de Usuris*, quarum neutra hîc subest, nec ulla præterea causa apparet, quæ debitorem ad solutionem usurarum, compellendum esse svadeat, cum pignus in earum vicem Creditori concesserit, cui, ut lucrum detrahere, leges vetant, ita nec damnum suppleri volunt; (4.) Indubium est, bellum pro casu fortuito reputandum, *L. 18. ff. Commodati.* quæ autem casu potius quàm fraude accidunt, fato, non noxæ imputantur, *L. 1. C. ad. L. Cornel. de Sicar.* Ideoque à nemine præstantur, *L. 23. de Reg. Jur. vid. hic David. Mex. Discuss. Lelevam. inop. debitor. Cap. 4. Sect. II. n. 40.*

## IX.

**A**N sistatur Antichresis, quando redditus inde percepti sortem æquarunt?

Negativam hîc cum plerisque tuebimur, (1) quod Leges nostræ in decisione hujus quæstionis planè tace-

ant, nec ullibi quid de ea expressum reperiatur  
 (2.) Ipsum Antichreseos pactum negativam hanc  
 comprobet, *L. ii. §. 3. ff. de Pignor.* Et licet (3.)  
 ita in Usuris procedatur, ut ad alterum tantum  
 perceptæ non amplius debeantur, illud tamen  
 ad Antichresin accommodari nequit, cum hæc  
 ab usuris non unò modò differat; Etenim in his  
 certa taxatio in illa verò ob fructuum incerti-  
 tudinem nulla fieri potest, unde frustra quoque  
 terminum ipsi præfiniveris. Nec obstat, quod  
 Antichresis invicem Usurarum sit surrogata, sur-  
 rogatum autem sapiat ejus naturam, in cuius lo-  
 cum surrogatum est, cum hæc objectio ex diffe-  
 rentia Antichreseos & Usurarum facilè collaba-  
 tur, *vid. de hac quæst. Job. Otto Tabor, de Altero  
 tanto part. 3. Art. ii. n. 19.*

## IX.

**A**N Interdictum quorum bonorum suo hæ-  
 redi competat, eiqve pro obtinenda rerum  
 possessione necessarium sit?

Freqvens est diversisque diversorum interpretum opi-  
 nionibus in utramque partem discussa hæc quæ-  
 stio: Quidam enim in ea sunt sententia, quasi  
 in suum hæredem possessio ipso Jure transfera-  
 tur, exindè, quòd suus Dominium rerum paterna-  
 rum vivò patre quodammodo habere dicatur,  
*§. 2. Inst. de hered. qual. & differ. L. ii. de liber. &  
 postb.*

*postb.* item in suos possessio defuncti transeat,  
*L. 30. Ex quibus causis major.* Pater & Filius u-  
 nius personæ vice fungantur. §. 4. *Inst. de Inutil.*  
*stipul.* Unde concludunt, interdictum hoc a-  
 dipiscendæ in suo hærede locum non habere.  
 Attamen Affirmantium opinionem, utpote so-  
 lidioribus rationibus fundatam meritò præva-  
 lere putamus; Apertissimi enim Juris est, suum  
 hæredem possessionem rerum hæreditariarum,  
 absque apprehensione non acquirere, *L. fin. C.*  
*de Edict. Div. Hadr. toll. L. 1. §. 3. L. 23. ff. de*  
*acquir. possess.* possessio enim in facto con-  
 sistit *L. 1. ff. d. t.* Neque aliter, quàm  
 corpore & animò acquiritur, *L. 8. L. 18.*  
*§. 2. ff. d. t. L. 4. C. eod.* per consequens actuali  
 apprehensione opus habet, *L. 23. ff. d. t.* adeo-  
 que & hoc remedium suo hæredi utile ac necessa-  
 rium est, si vel rei vindicatione vel petitione  
 hæreditatis agere nolit, *Vigel. ad §. 4. Inst. de*  
*hæred. qual. & differ. Cujac. ad L. 12. de Liber.*  
*& Postb. Job. Borcholt. in Comment. tit. ff. de acquir.*  
*vel amitt. possess. c. 8. n. 26.* Si verò alicubi consue-  
 tudo obtineat, vel statutum ut possessio ipsò jure  
 sine apprehensione in hæredē transferatur, meri-  
 tò particulari juri inhæretur. *Gail. 2. obs. 129. & obs.*  
*152. n. 34. & seq.* Sicuti ejusmodi consuetudinem in  
 Gallia multisque Italiæ locis receptam esse testa-  
 tur & confirmat latè *Tiraquellus in Tr. Le Mors*  
*saisit le vis, b. e. Mortuus transfert possessionem*  
*in vivum scil. hæredem, Declar. 2. n. 1. & 2. Con-*  
 ferri

ferri etiam potest Cludeus *Tr. de reb. quotid. cap. 3.* & Bachov. ad Treutl. *diff. 21. tb. 2. lit. 9.* Quin filio quoque & agnato ad successionem feudi ab intestato venienti hoc interdictum dari dubitandum non est. *2. feud. 26. cap. 1. §. inter. ubi Gl. & Doctores, si de feudo defuncti; Wesemb. in Parat. tit. de interdict. n. 8.*

## X.

**S**I plures in rixa vel tumultu aliquem occiderint, quomodo puniantur?

Et quidem, si hoc in casu autor homicidij sciatur, omni dubio caret, quod is poenâ ordinariâ *L. Corneliae de Sicariis* puniendus sit, *textus est elegans in L. Mela 11. §. 2. ff. ad L. Aquil. Consist. Criminal. Carol. V. art. 184.* Si verò occisor ignoretur, oritur controversia, quomodo hi puniantur? Nonnullorum opinio est, omnes poenâ ordinariâ esse afficiendos, inter quos *Claud. Batand. in Praxi Cusf. Crim. Reg. 103. num. 3. & seq. Albert. Gandin. in Tr. de Malefic. tit. de homicid. & eor. poen.* Alii contra statuunt, quòd in dubio omnes extraordinariè, sive poenâ pecuniariâ sive relegatione vel simili pro arbitrio Judicis infligenda puniendi sint, *Anton. Thessaur. decis. 31. num. 5. Andr. Gail. 2. Obs. 106. num. 1. Modest. Pistor. Consil. 4. num. 1. & seq. Beust. ad L. admonendi, 31. ff. de Jurejur. num. 1079. & c.* Quæ opinio etiam nobis arridet; Et quidem, quòd



quod poenâ ordinariâ homicidii puniri non possint, *textus est expressus in l. si in rixa ff. ad l. Cornel. de sicar.* Cum melius sit nocentem absolvere, quàm innocentem damnare, *l. 5. ff. de poen.* Inter multos autem rixantes & unum occidentes, plures esse innocentes, dubium non habet, cum impossibile ferè sit, ut omnes in genere, & singuli in specie aliquem occiderint; Præterea suspiciones tantùm sunt contra plures in rixâ aliquem occidentes, quòd hic vel ille homicidium commiserit, nemo autem ex suspicionibus etiam violentis ad mortem damnari debet, *l. Absentem 5. ff. de poen. l. ult. C. de Probat.* Quòd verò omnes arbitrariè extra ordinem sint puniendi, facit, quòd omnes in culpâ fuerint, & rei illicitæ operam dederint, *l. 11. §. 4. ff. ad l. Aquil. l. 1. §. ult. ff. de his qui dejec. vel effud.* quod etiam confirmavit Imperator Carolus V. in *Constit. Crim. art. 184. post medium versum, auch / so einer in einem Mufruhr / &c.*

## XI.

**T**itius nemine præsentem & vidente Cajum occidit, præterdit autem moderamen inculpatae tutelæ, cui contrà accusator fortiter reclamatur; quaeritur, si Titius defensionem probare nequeat, quomodo puniatur?

Est certè quaestio hæc ardua & nodosa, quæ ingenia in-

C

ter-

terpretum miris modis vexavit, cujus etiam me-  
 minit Carl: V. in suis *ord. crimin. art. 143.* **So**  
**einer jemand entleibet /** eam tamen non deci-  
 dit, sed consideratis variis temporum, locorum,  
 rerum & personarum circumstantiis arbitrio ju-  
 dicis relinquit. Ordinariae homicidii poenae lo-  
 cum esse, nimis audacter concludit Socinus *in l.*  
*1. ff. si cert. pet.*

Pro extraordinaria & mitiori arbitrio judi-  
 cis infligenda, respondet Gramm: *decis. 5.* Alij  
 praedictas opiniones variis modis conciliare ni-  
 tuntur; Nos in tanta opinionum fluctuatione  
 Gramm: manum damus, & extraordinariam  
 poenam irrogandam esse asserimus. Ratio, quia  
 in criminalibus sanguinis poenam irrogantibus,  
 requiruntur probationes exactissima & liquidis-  
 sima: At vero qualificata confessio, non est pu-  
 ra nec simplex confessio. Licet etiam praesum-  
 ptio sit contra confitentem in actu hoc illicito &  
 delicto, ex praesumptionibus tamen utut vehe-  
 mentioribus nemo ad mortem condemnari pot-  
 est. An vero is, qui deficit in probatione neces-  
 sariae defensionis, ad eruendam veritatem, tor-  
 turae subjici possit, committimus arbitrio judi-  
 cantis, cui perspicienda sunt utriusque personae,  
 tantocci, quam ejus, qui eadem perpetravit, con-  
 ditio aequae vitae status, locus, ubi caedes facta dici-  
 tur, item, quò quis armorum genere usus fuerit,  
 quis eorum ex vita ante acta majorem fidem &  
 innocentiae opinionem mereatur, addatur

Const: Carol: art. 143. & consult: Saxon: Lib. 5.  
quest. 12. & 13.

XII: 6011

**M** Agnorum Virorum hactenus torsit inge-  
nia, utrum in defensione necessaria requi-  
ratur paritas armorum, eâque non adhibitâ mo-  
deramen Inculpatae tutelæ excedatur?

Utrumque negamus, per l. 3. ff. de J. & J. l. 3. C. ad L.  
Corn: de Sic: Mascard. de Probat. lib. 3. Conclus.  
1126. n. 36. Petr. Theodor. in diss. ult. th. 5. l. c.  
Prosp: Farin. Quest. 125. n. 360. Nusquam e-  
nim in jure paritas armorum attenditur, Forst.  
de jurisd. Rom. p. 2. lib. 9. sect. 4. n. 9. Nam, ut  
Florentinus in d. l. 3. ait, *jure fecisse videtur*,  
*quod quis ob tutelam corporis sui fecerit*, minime  
præscribens, quò armorum genere id fieri de-  
beat, quoniam semper præsumitur aggressor  
deliberato animo imparatum aggredi. Mascard.  
de probat. lib. 3. conclus. 1126. n. 63. Obrecht.  
tract. de necessaria defensione cap. 5. n. 4. Prosp.  
Farin. p. 4. tit. de homic. 4. quest. 125. n. 36.

Ideoq; stultum esse judicamus, cum quis fir-  
mioribus armis uti possit, iis sepositis, infirmi-  
oribus minusque idoneis ad defendendum as-  
sumptis, vitæ periculo se exponat, tutioreque  
via neglectâ periculosiorem ingrediatur, vide-  
licet, si aggressor sit multò robustior, major &  
fortior, quàm provocatus, impunè inermi ar-  
mis vel armato duriori telò vel instrumentò re-

C 2

listi

fisti potest. *l. 45. §. qui cum aliter. ff. ad l. aquil.*  
 Bart. *in l. unic. C. unde vi. n. 7.* Bald. *l. unic. C. de*  
*confess. n. 45.* Hoc tamen de eo saltim intelligi  
 volumus, qui in dubio vitæ constitutus, non  
 qui aliter se defendere, veletiam periculum  
 evitare potuit, *l. sed & si. 5. in pr. ad l. Aquil.*  
 Peinl. *Halsgericht. Ordn. art. 142.* Donell. *in*  
*l. 1. C. Unde Vi. n. 6.* Gail. *2. observ. 110 n. 16.*

## XIII.

**D**E minore Curatorem habente ambigitur, an  
 absque consensu & autoritate hujus donare  
 mortis causâ possit?

Bachov. *ad Treutl. disput. 10. tb. ult. l. B.* distinctione  
 rem expedire conatur, ut scilicet donatio, quæ  
 res statim traditur, non valeat, secus ac illa, quæ  
 fit per stipulationem aut in eventum mortis.  
 Alii, minorem mortis causâ donare posse, pror-  
 fus negant, inquam sententiam & Welenb. *ad*  
*paratit. de donat. mort. caus.* videtur inclinare.  
 Nos verò cum Obrecht, Bocero & aliis intrepide  
 affirmativam amplectimur, moti fundamen-  
 tō, quod minor possit testari, *l. 4. C. qui test.*  
*fac. poss.* Ergo: & mortis causa donare, *l. 15. l. 25.*  
*ff. de donat. mort. caus.* tum etiam, quod qui  
 mortis causâ donat, non obligetur donatario,  
 sed donationem quovis tempore revocare pos-  
 sit, adeoque hic nulla facile oriri quæat læsio;  
 Subsistere itaque nequit distinctio Bachovii,  
 cum

cum utrobique militet ratio decidendi à testa-  
 menti factione desumpta ; Videtur ille qui-  
 dem fundamenti locò ponere *l. 3. C. de rest. in  
 integr.* quâ constitutum, ne minor quicquam  
 rerum suarum absque consensu curatoris alie-  
 net ; Verum hanc legem ad obligationem re-  
 rum minoris inter vivos pertinere, vel inde pa-  
 tet, quòd aliàs nec testari posset minor. Illud  
 autem parùm, aut nihil eum juvabit, quod pri-  
 ori casu dominium transferatur : Constat enim  
 sub ea conditione hoc esse translatum, si mors  
 sequatur, vel nisi pœnitentia accedat, undè ;  
 cùm revocare possit minor, quando cunq; velit,  
 donationem nihil, aut parum detrimenti ex il-  
 la translatione sentiet. Ad Wesenb. dubitan-  
 di rationem, quòd effectu tantum, & quoad te-  
 stium solennitatem donatio hæc pro ultima ha-  
 beatur voluntate, personarum vero respectû,  
 origine ac formâ speciem contractus referat,  
 respondemus negando, quia etiam quoad for-  
 mam & personas hæc donatio ultimis potius  
 voluntatibus, quàm contractibus est annume-  
 randa *arg. l. ult. C. de donat.*

## XIV.

## AN Repressaliae sint licitæ ?

Repressaliae tam Jure Naturali, *l. pen. C. ne uxor pro marito.*  
 & tot. tit. C. res. inter alios act. Divinò, *Exod. 18.*  
*v. 4. Deut. 24. v. 16. Canicò, cap. un. de injur.*

Et damn. dat. in sexto cap. 2. X de his que fiunt  
 in major. part. Civili, argum. tot. tit. ne filius  
 pro patr. Et tot. tit. C. nec uxor. pro marit. Nov.  
 52. cap. 1. Nov. 134. c. 27. Quam Politicò, simpli-  
 citer prohibita videntur, Reichs-Abscheid zu  
 Speier de anno 1570. §. Wann auch die arre-  
 sta, &c. Unde Gail. lib. de pignor. observ. 2. n. 3.  
 ait, Repressalias sæpius quidem in aula impe-  
 ratoris fuisse petitas, sed denegatas. Verùm  
 Repressaliarum consuetudinem, modò aequita-  
 tis terminos non egrediantur, sed justitiæ mi-  
 nisterium præbeant, Jure Divinò, Canonico &  
 Civili, atque ita in foro conscientiæ licitas ac  
 permissas esse, intrepidè statuimus. Id quod  
 etiam in specie confirmant Cothmannus 3. Con-  
 sil. 33. n. 180. Frider. Mindan. de Process. lib. 1. cap.  
 48. per tot. Recess. Imperii de anno 1594. §. Und  
 so viel die.

## XV.

**U**trum sumptus filio studiorum gratiâ facti ve-  
 niant in collationem?

Negativæ subscribimus, nisi animò credendi à patre ex-  
 positos esse constet; Alciat. Hartmannus Pi-  
 stor & Colerus, quibus annueramus libros,  
 item expensas pro dignitate & honore Doctora-  
 tus subministratas, rejectâ distinctione Schnei-  
 dewini, Gilkenii, aliorumq; quod pluribus  
 prosequitur Hilliger. ad Donell. 19. comment.  
 4. tit. 20.

## XVI.

**N**Um Vasallus servitutem realem fundo imponere possit?

Et quidem hoc ipsi licere, cum communi Ddorum schola statuimus, in sui scilicet præjudicium, non etiam agnatorum, aut Domini, textus est expressus in cap. 1. §. quod ergo, & ibi Matthæus de Afflict. de investitur. de re alien. fact. cum multis per Schrader. p. 8. cap. 2. n. 49. alegatis, ubi rationem hujus reddit; quòd pactum inter alios factum aliis non præjudicet, l. 27. §. ante omnia, ff. de pactis, quia Vasallus tantum pro tempore vitæ suæ habet jus in feudo, itaque hoc jure per mortem Vasalli, servitutem constituentis resolutò, similiter & illius jus, cui hæc servitus constituta resolvi necesse est, argum. l. 9. §. fin. ff. locat. cap. 1. §. hoc quoq;, de successione feudali. A qua sententia dissentit Vultejus ex hac ratione, quoniam id non permittitur usufructuario, l. 15. §. sed nec. ff. de usufr. Ergo nec vasallo, quoniam summa est affinitas inter hunc & illum; Verùm ista concludendi ratio est nulla. Quoniam datâ disparitatis ratione in uno, facilè in alio admittitur. Feudum ad posteros Vasalli transmittitur, non usufructus, quod arguit Jus Vasalli plenius esse. Altera objectio Vulteji est, quoniam Vasallus non potest deteriorem facere conditionem feudi, servitutem autem imponendò, quin Vasallus rem faciat deteriorem, nullus dubito.

At

At nec illa obstat, quoniam servitutis illa constitutio non nisi constituenti nocet, non etiam alii, sanè jure summo ejusmodi temporanea constitutio non facit servitutem, utpote quæ non nisi perpetua sit, l. 4. ff. de servit. Ex æquitate tamen & vi conventionis eam subsistere ambigendum non est. Vid. Arumæus disp. feud. 7 p. 679. tb. 12.

## XVII.

**A**N matricula habeat plenam probandi vim, aliquem statum Imperii esse?

Priusquam affirmativæ aut negativæ subscribimus, notandum duplicis generis matriculam reperiri; unam nomina statuum imperii simpliciter & secundum sua nomina, alteram nomina immediatè imperio continentium, tam statuum, quam qui nati sunt possessores Regalium feudorum, cujus mentio fit in R. I. spirensi 1570. §. Als wir dann & seq. De priori nos loquimur; Et quavis Limnæus lib. 1. §. P. c. 7. n. 68. huic instrumenti publici qualitatem ac vim tribuat; attamen per eam præsumptionem saltem juris, haud verò plenam induci probationem verius esse, existimamus. Etenim status imperii nostri de imperfectione Matricularum sæpissimè conquesti sunt, nec repetere querelas desierunt, uti apparet ex instrument. Pacis Osnabr. art. 8. §. 3. communiter emendatio matriculæ conclusa, rejecta autem in proxima comitia fuit.

F I N I S.

DEO immortali sit honor laus & gloria  
in sempiterna secula!





DISPUTATIO IN ALG  
FASCICULUM  
NIM CONTRA  
E O,  
TRIAE,  
ENTIBUS,  
ATQVE  
RONIS.  
ANDREAS GEO  
Haupt  
PROFESSOR, Typis Joh. Henr.  
Placide Radtke  
RES & PRINTER  
Summus in LITTO THE  
Pro LIT C  
M A A M

